

nere , negotio , magistratu obeundo non aliquando in leges quidpiam committitur ? In humanis rebus quam inventias , que æquabili tenore , atque eodem cursu semper fertur ? Cur novæ leges , mandata , instituta , abrogationes , sanctiones ; si nunquam ab itinere deflectitur ? si semper publicis decretis obtemperamus ? si statutos a prudentibus limites non egredimur ? Nolo mordicus tueri , in tot Decemvirum , Adscriptorumque decretis fortasse aliqua inveniri non posse ( licet pauca ea sint ) que aliqua in re castiganda corrigenda sint . Concedo , quandoque non omnes leges in consilium adhibitus fuisse . Addo etiam , adversus leges nonnunquam factum . Nunquid ob id in magistratum invehi & nunquid instituta corrumpere oportet , quibus per tot annos publicæ res administratae sunt ? An ea , que majores nostri summa ratione instituere , que toties sunt experti , ingens vestra prudentia delebit ? vestra inquam prudentia , qui hoc imperium ab iis accepistis , qui singularem sapientiam , eximiamque eorum in patriam charitatem ad vivum exprimitis ? Cur , si quid humani irrepit , non tollimus ? cur , si qua in re peccatum est , non corrigimus ? cur legem a Consiliariis latam non ferimus ? Qua ne minima quidem ex parte Senatus auctoritati ac maiestati derogant , sed ea illibata atque intacta præclari hujusc regiminis fundamenta concilii , quod semper in Republica gravissimum habitum est , auctoritatem tueri ac confirmare nituntur . Quis enim inficias iverit , ac non invitus quoque fateri cogatur , sæpius ex ejus consultationibus ac decretis immensa prope commoda , que vix fando enumерari queant , ad Rempublicam manasse ? Quæ ut multa sint , unum pro cunctis in omnem posteritatem fama propagabit , pacem nempe cum Selymo Turcarum Rege nuper sancitam , qua effectum est , ut justa procellis , sevaque tempestate quassata Respublica , tandem incolumis portum subiverit ; cum antea triennii bello confecta , ab amicis deserta , veluti navis , discisis velis , disruptis antennis , confracto malo , remigio nudata , præsens naufragium expectaret . Quis neget hoc uno facile patefactum , quantum Respublicæ intersit , duabus hisce veluti an-